Parznicki Christophori: Effigies vera Di Stanislai, Episcopi Cracoviensis.

EFFIGIES
VERA
DIVI STANISLAI
EPISCOPI CRACOVIENSIS
Martyris Gloriosi, Patroni Regni
Poloniæ Maximi.

Perillustri & Admodum Rndo: Dño.
D. STANISLAO PRZYLĘCKI
DE PRZYŁEK
CANONICO POSNANIENSI
Domino & Mæcenati amplissimo.

Pro annua
Festi celebratione Diui Tutellaris Poloniæ
Nomen deportanti.

A
CHRISTOPHORO PARZNICKI
Radomio, Philosophiæ Doctore, & Artium Magistro ac Professore ad obseruandum & spectandum exposita, & cum digno venerationis obsequio dicata obseruantiæ ergò
OEFERTVR.

In Perillvstre Admodvm Reverendi Domini Insigne.



Crux deriuat aquas, crux & diffundit easdem,
Crux aperit flumen, crux quoq; claudit idem
Myſtica Sacrato, PRZYŁECI ſymbola ſigno,
Stemma Tuum defert, quid notet illud, habe.
Conſpicc Srzeniawam, STANSLAI littera prodit,
S. quia ſemper amat, Stans tolerare crucem.
Paſſi crux animi, vult flumen hebere per vſum,
Lætitiæ largas, cruxq; refundet aquas.

ORATIO.

NON postremam ij virtutum & laudis merentur gloriam P. et Adm: Re: D. qui si aliquando huiusmodi euadant viri, prout ipse generis splendor, & virium præstantia persuadet, vel ad hoc idem potissimum, insigni olim præcinente Pòëta Horatio, *Fortes creari fortibus, & bonis.* Maiorem quippe (vti iustum esse videtur) illi referunt dignationem & famam, qui præter animi magnanimam generositatem, soli, alicuius præcipui Nominis voci, æmulari contendunt. Cum & priscis sæculis, nomini Fabiorum Fabios, Scipionum, Scipiones, Deciorum Decios, semper æquari conatos fuisse accepimus: quod & nostro æuo complures, in se effingere vt nitantur, est maximè necessum. Ipsam ac præsertim in eo Naturam, communem nostrum omnium Parentem vtq; ducem sectari libeat, quæ dum semel leonem fortem, equum generosum, Tygridem prudentem progenerat, horum degenerem

 aduer-

aduertens fœtum, si imbellem, non amplius leonem, si pigrum & tardum, non iam equum, si desidem ac temerarium, non omninò Tygridem nosse vult, seu tutò audet nuncupare. Quod quidem nec inconueniens esse, vt cui natura, præclaram semel indidit compositionis habilitatem, respectu cuius, vicinum nomen adiecit, & non illi quid consimile fieri videat, equidem illud, alienum ab eo, quod eidem gratuitò contulit, vocare non iniquè potest, ac debet. Nam profectò, innata est quædam vis & potentia, id velle & optare ad consequendum, quod nominis ipsius excellentia, præmonstrare videtur. Hoc autem vt appositè innotescat, Apellem aut Thymantem, insignes suo æuo artifices, opus est imitemur: qui priusquam viuos, adnotátis in archetypo lineis, inducerent colores, nomen saltemmodò ipsum, intrepidi cuiuspiam Herois, cuius viuam expressuri fuissent effigiem, spectabant, post hæc, verum pro internis animi virtutibus, probè ad adaptabant colorem. Hoc idem P. & A. R. D. præstantissimus Tuæ imaginis Apelles et Effector Deus præuidit, quam enim, ad sui similitudinem perfectè adumbra

dumbrauit, at cuiusnam magni viri colorem ipsi apponeret, nomen satis conuenientissimum, D. Stanislai adinuenit, & adiunxit. Quod dum Tibi, diuina quadam sorte, summi viri, Patroni Regni Poloniæ potentissimi nomen obtigit, idem vehementer gratulor, eoq́; præsens ac diu faustus, lætare. Quem ergo Diuum, etsi in Te ipso efformare iam videaris, tamen eundem, etiamnum in omnibus, ad viuum exprimere, magnoperè satage. Hanc ego vltra effigiem, dummodò scripto meo, Tua summa prudentia, et singularis Humanitas, indulgere necnon adfauere velit, per expressum delineare, et conficere properabo. Magnum et Illustre Nomen, non exiguam frequenter assolet, præstare virtutum, laudis, gloriæ accessionem et commendationẽ, nisi tamen ipsius præstantia, per vires humanas et rationem, in integro obseruetur, debitumq́; pondus, et æstimationem teneat, nihil certius esse, quin venerandi nominis splendor & valor, ingens precium et incrementum adportet. Etenim eorum etiam, quæ etsi vbiuis locorum satis bona esse censeantur, sin abiectio et contemptus habeatur, nullam prorsus gra-

ſus gratiam et ſuauitatem, in oculis hominum, vt ne dicam aut cogitem, in ſuprema cœleſti curia, aſsequuntur. Tum quando certè cui, vt & Tibi P. D. Diui Tutellaris noſtræ Patriæ Dignissimum euenit nomen, nonnè idem ad amorem ipſius, cuius voce ſua ſpeciem refert ac repræſentat, certo quodam modo pellicit et attrahit? nonnê illum ipſum honorandum innuit et incitat, cui propriè et proximè adhæret? Equidem ita, quiſq; pro comperto et cognito eſse nouerit. Sublimis quandoquidem Diui Staniſlai, in florida vernantis adhuc iuuentutis ætate, miraq; morum ſuauitas fragrauit, cui oro non iucunda eſse potuit? cum non quæreret illam externam, ac dominatam gloriam, quam nec tamen omninò, pro generis ſplendore abiecit, ſed quia priore dignatus loco, Diuinum obſeruabat honorem, in reliquo, pro ratione ipſius temporis, Patrio amori, non nihil conceſsit: vnicuiq;, qui Tanto inſignitur Nomine, in vſitato ſit commune, vt ita ipſius ductu, ad Patronæ virtutis felicem portum, per tot pericula et vitæ diſcrimina, ocyus emergat. Hinc vel Te vnum, magne Prælate, Illuſtri Przylecciorum

rum

rum ſanguine oriundum, conſpicari et intueri liceat, qui præter magnum Nobilitatis genus, Magnificam proſapiæ originem, vetuſtam demùm ſtemmatis famam, interiores animi dotes, ac virtutes ſummo precio æſtimatas, toties, et toties in vita accumulare ſtudes, vt neutiquam, ab ipſo Nominis præclaro effectu, diſcedere inducas animum. Enimuerò, imbibit vir diuinus olim pietatem, alibi in exteris Nationibus, cum necdum rudem illam, dulce Patriæ ſolum deterſiſſet barbariem : imbibit inquam alibi, ac præſertim, in celeberrima toto orbe Pariſiorum Academia, deuotionem, morum integritatem, prudentiam, humanitatem adeò, vt non plus ſe profectum fuiſſe, in literis politioribus libens vidiſſet, quàm prius in amore Diuino, bene exercitatam, ſe egiſſe vitam, intellexiſſet optimè. Hanc profectó, et Tuo generoſo inſtillauit enimo, diuus hic Patronus mentem, quâ ita memor èxiſtens ipſius, cum in remotas Regionum Prouincias, a Patria profectus feliciter diſcederes, Humanitatis et comitatis, omnem indueres gloriam, prudentiæ, probitatis & clementiæ, conquireres venuſtatem. Aſſe

cutum

cutũ plenè, Te eſſe ea omnia cognoſcimus, quæ nõmodò in ipſa Polonia, verùm in Germania, Italia, et alijs longinquis oris, ſæcula aurea opportunè nactus, Eloquentiæ, non exile monimentum comparaſti, Iurium non leuem peritiam delibaſti, Hyſtoriarum ad extremùm, multiformem elegantiam et copiam, congeſsiſti. Neque minorem, vt certò conſtat, ſacri dogmatis, per diſcurſus Theologicos iucunditatem, adeptus es, quàm variarum ſanè linguarum, probè expertus cognitionem, Tuo ſatis induſtrio animo, ac genio adijſti. Ad nominis igitur Tanti celebritatem exornandam, accurrerent ô ſi, vel huc aliqui graues, cum Latinæ, tum Græcæ nomenclaturæ, ſeu prudentes ignotarum vocum interpretes, aut diſerti expoſitionum commentatores: quos inter, Aulum Gellium, Xenophontemq́, et cæteros quamplurimos exactæ eruditionis authores, præſtò aduentantes, perquàm lubenter conſpicerem. Iſtorum ego omnium proprio muneri ac officio, nomina pleraq́, fideli vocum explanatione ponderanda, necnon enuncianda apponerem, quid in ſe rei ſingulæ voces complectantur, quidué deinceps virtutis in ſe

conti-

contineant. Veruntamen, quoniam prolixas mea Oratio, diutius expectando, nimium odit moras, Hyštoriarum è vicino, igitur veri prodeant ſcriptores, quorum, ac peculiariter Titi Liuij vtar teſtimonio, qui cum fuſius tractet, rem in pauca contraham. Satis memorandum, in vrbe Romana Scipionum viguiſſe genus, quod à bacillo, cuius ope grauitatem, et infirmitatem grandæuam, auus illorum ſuſtentabat, nomen Scipionis, non immeritó ſortitum fuiſſe: qui quidem Scipiones, vt Nomini ſuo, ſatis per ipſos fieret, impensè ac enixa opera id procurarunt. Quorum alter, ruentem iam Patriam, ſua vi ſuſtentauit, metuq; labefectatam atque conuulſam, firma ſpe præſidij, fortiter erexit, vt poſt graue Africæ excidium, Africani, alter Aſiatici nomen, poſt Aſiam ſubiugatam, referre digni fuiſſent, quòd Patriam infirmantem, veluti duo bacilli, ſubnixi fuiſſent. Pompeij itidem Magni Nepotes, victoria frequenti, grandium bellorum Imperatoris, ardenter incenſi, non leuia etiam crebro attentantes, Magnos ſe futuros fuiſſe ſperabant, et quidem ſtetiſſet in ijs, non deterior laudis

gloria, si ijsdem in vlteriore rerum processu, gratiosa sortis facies arrisisset. Hi quanta, solâ Gentilium Nominum permoti Excellentia moliti sunt! vt debitæ voci, æqualem gloriam, etiam cum dispendio graui propriæ salutis, et fortunarum, compara∫sent. An non plura nos oro, ceu vera & Orthodoxa illustratos fide, præstare et perferre oporteat? qui in Diuorum cœlesti sorte veniamus nomina, semper quà in hac vita, quà in cœlesti illa, commodè profutura. Imò maiora dicam, quòd Sanctorum virorum nomina, infallibili Diuinæ sapientiæ nutu, ijsdem collata acciderint, vt iuxta virtutum, ac meritorum certam congeriem, quotusquisq; proprij tesseram nominis sortiretur. Deductas enim, è Græco voces, omitto, Latinis et Sarmaticis, aliquantùm immorabor. Adiectis certè, aut elisis vocum litteris quibusdam, quid primò sonet Ladislaus (hæc enim sancti Hungariæ Regis vox) virtutis in se portendat? an non pro certo Laudis laus, ob summas, et inusitatas meritorum ac virtutum actiones, dici cogitariuè potuit? si Vladislaum, de Polona tractum vocula interpretemur, Po

tentem

tentem fama, non inconuenienter appellabimus, qui potenter, tàm viribus, quàm virtutibus dirigat laudem, iuxta ac famam. Disquiramus porrò, diuinissimi viri nomen, quod est STANISLAVS, Sarmaticas si perscrutemur paulullum dictiones, proximè, edici potest, Fiat laus, vel imprecando bonum, Fias Fama, latinam tandem expungamus linguam, en illa virum, si quem aliquando in viuis superstitem, non probè cognouit, vt certè interea per miracula, in hoc sublunari ambitu cognoscit, et Romana Ecclesia, vti verè sanctum fuisse, et esse virum, pridem decreuit, clara illum voce deprædicat, Stans I Laus: quod stantis nomine, quandam propititudinem eundo, et gloriam comparando perennem, certò designet. Conuertite obsecro, in eum virum oculos et mentes, qui Stans it laude. Quantæ Maiestatis, sublimitatis et eminentiæ ipsius nomen insit, perpendite, quod nonmodó Aquilonares Septemtrionis oras, sed diuersas Regnorum Prouincias, passim personat, et vbiq; penetrat. Quanti iam esse ponderis et precij D. Stanislai nomen duxerimus, permagni equidem, perma-

gni respondemus. Te nunc Te, verum sequacem Antistes sacratissimus, vt incunctis proficientem plenè efformet, perbellè informat. Nam sicuti ille, diuinissimum, sacrato functus officio, munus conficiebat, et cæteris idem communicabat: multoties pietatè, iustitia, diuinum gregem instituit, verbo Dei pauit, pœnitentia salubri lactauit, paterno amore fouit: sollicitus ac sedulus, Ecclesiam Dei, cura et opera Pastore digna, circumspectè administrabat, dirigebat, nec minus diligebat. Siquidē cum proprium, non modo sanguinem, sed etiam intimè euiscerato fermè pectore, suam profundere vitam, et animum semper paratus fuisset, ac vt re ipsa, amorem Dei contestatus, profudit. Veritatis lucem non oderat, sed aduersum furentis Regis Boleslai minas, intrepidè accensam verbis, à Spiritu Sancti ope inflammatis, præferebat. Inspexeris nunc Tuum, vendicatum à Diuo Indigete nomen, Magne ad Cathedram, Ecclesiæ Posnaniensis Prælate, quo interea decoreris honore, cum non faciendo animi, postmodum præstoleris bona, sed eadem promptè exequendo, frequenter vsurpas, vt ipsius frun-

ſtantem laudem exornes, propages, amplifices. Verumenimuerò, quó deinceps Stans eat laus, quo pergat et tendat? nollem me id lateat: Cognomines vt opinor, ſuo inclyto nomine decoratos, tangere appetit: et ita appetit vt vernante menſe Maij, eoſdem reuireſcere, pullulare, ac tandem germinare efficiat. Neq; omninò iniuria, nam verno, ſub lætos Maij dies tempore, cuncta feruenter effloreſcunt, vt ad communem vitæ vtilitatem, maturos fructus afferant. Non aliter profectò, D. Patroni nomen, et Tuo celeberrimo aduernat animo, vt qui truculenti Regis, aut Tyranni, ſæuo conciderit enſe purpureoq; glorioſi Martyrij, rupem tinxerit et rubefecerit ſanguine, palmam mortis propriæ teſtem, graui quamuis, at nunquam tamen depreſſam onere, in ſupero rupis culmine, ſemper adhæc virentem, ſtatuens, ſui nominis ſequacibus, palam eandem præmonſtrat, ac gloriam, vimq; toto æuo prædicandam, indicat. Expectas à me fortaſſe P. D. quam et quantam vim diuum nomen retineat, primùm tamē quid nuda vox, ipſius nominis denotet, inueſtigandū accipio. Ac vt communem Grammatū Sholam, poſt

depo-

deposita simplicioris Tyrocynij rudimēta, iteratò resuscitem. Nomen quidem esse, vocem, per senarios laborum, molestiarū, infirmitatum, damnorum, periculorum ac tentationum casus, tàm in singulari priuatim, quam in aperto multorum hominum conspectu, flexibilem. Exinde, nullis ille terroribus, ac minis, solius Dei amore cōmotus, flexit casus toties, nec declinauit tamen, horrendum vitæ auferendæ casum, taliterq́ʒ per eorundem casuum cruces, supernos Empyreæ Sedis postes, pulsandos esse edocuit, maximè eos, quos sui nominis, in vita participes esse prænouit. Tolerasse Te complura in vita, non equidem est vllum dubiū, vt eo pacto progredereris rectà, quò Tuum Patronum progressum fuisse, sanè non ignoras Quinimò, & ipsum vetustum SRZENIAWÆ Stemma, diuinum quid præferre visitur, si illius summitatem spectes, crucem præfert, et á sinistra in dextram partem, vberrimum dulcibus vndis flumen, aut potius geminum SS. inuersoq; modo vinctum, protendentem, oculis spectantium obuertit, et exhibet. Aduerso namq́ʒ, dum litera bis adnotata procurrit tramite, non alia equidem ratione, nisi quod terrenis

fortunis & gloriæ aduersari deceat. Crux autem, quid designet duplici literæ innixa, nihil aliud, præterquam, quod post dies, Crucem ad publica precum vota foris prægestantes, sequi annuam, D. Stanislai festiuitatem, eo anni cursu contigerit: idq; post septimanæ sacræ (Rogationum dictæ) dies, quòd ijs nos rogare, æterna verbi veritas doceat, innuens, Petite & accipietis. Quo quidem, miserantē animum, et munificam liberalitatem, in strictioris fortunæ vires, effundendam, firmiter præcipit. S. vtrumq; dextræ auri obuersum, cruciq; appensum, per angustias carnis, sacratos sequi cœlites reuocando, & approbando intonat Sic Stanislaus egit, gloriosus Pontifex. Quanquam plus credo, ad Przylecianam cum affixo stemmate vitam, id attinet, vt probè cognouerit, ex duplicato vnius literæ nexu, & charactere, insuperq; cruce apposita, scilicet esse Crucem Semper Sustentandam, quonam tamen fine, ac prætextu? Lemmatis istius Epigraphe, pulchrè accinit Spe Salutis. Spirat hoc vniuersum dignissimus Prælatus, quod de nomine sacro, proficuum sibi in vita illa fore sperat,

nolens

nolens quandoquidem, de irrita nominis gestatione, sic reprehendi & argui. Quemadmodum enim, olim Alexander Macedo, intra suos milites, vnum Alexandri nomine præditum, alioquin non inglorium armis virum, acriter cohortatus. Aut nomen muta, aut digna Alexandri nomine, belli facinora ede & perpetra. Nullatenus attingit hæc cohortatio Tantum Prælatum, qui spontaneo identidem, in optimum quodq; latus animo, rectè facta sedulò colligit: eadem autem conficere inuito Spiritu, citra meritorum seriem, vix dignam cœlesti limine huiusmodi mentem, minus ambigit. Depromptum quapropter è summa mea in T. P. D. gratitudine, opus tenue panxi, qui humanitatem Tuam (quâ viros quosuis, literis apprimè excultos, prosequi consuesti) optimè sum expertus: maximè cum Tuum è Sorore nepotem, pietate, moribus, studijs, instruerem ac imbuerem. Proinde, vt qui Tanti Patroni, & Tutellaris Regni Poloniæ ope, celebrem luce hodierna expedis solennitatem, fecerint Superi, qui ab eò Prælatorum subsellio, sublimiora Antistitum fastigia conscen-

ſcendere, atq; illuſtri Toga, inter Præſuleos conſeſſus eminerê valeas. Quanquám, et inuitat Te iam Sanctiſsimus Præſul, in Perillustre Prælatorum Cracouienſium Collegium, ob eximias Tuas dotes, et ſingulares beneficentiæ, inexhauſtæ liberalitatis, humanitatiſq; virtutes, quibus Te cunctis, ac præcipuo more, Illuſtr: et Reuerendiſ: Dño Petro Gembicio, Epiſcopo Crac: et Duci Seueriæ, iucundum et amabilem, decenter præſentaſti: Deniq; vt ita in eò Tibi ſuſtragante Diuiniſſimi Præſulis adminiculo, inter ſupremos Proceres, hinc tanta Fias Fama, quæ nunquam intermori aut conticeſcere poſsit, ex intima animi ſententia, ac præcordijs, vehementer apprecor.

Die Octaua Maij.

CRACOVIÆ,
In Officina Martini Filipowſki, 1644.